



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,  
Sev Svplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis  
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac  
publicis Ecclesiae de causis in ...**

**Coloniae Agrippinae, 1640**

Processio in quacunque tribulatione

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9480**

DIRECTORIVM

quæ in sua feritate confidunt, dexteræ  
tuæ potentia conterantur. Per Domi-  
num nostrum I E S U M Christum, &c.

Exaudiat nos Dominus. Amen.

PROCESSIO IN QVACVNQVE  
TRIBVLATIONE.

**S**eruatis omnibus, ut suprà in Litanij s-  
mioribus, finitisq; Litanijs, dicitur Pater  
noster &c. *vers.* Et ne nos inducas in  
tentationē. *Resp.* Sed libera nos à malo.

*Psalmus 19.*

**E**xaudiat te Dominus in die tribula-  
tionis: protegat te nomē Dei Iacob.  
Mittat tibi auxilium de sancto: & de  
Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificij tui: & ho-  
locaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundùm cor tuum: &  
omne consilium tuum confirmet.

Lætabimur in salutari tuo: & in no-  
mine Dei nostri magnificabimur.

Implearit Dominus omnes petitiones  
tuas: nunc cognoui quoniam saluum  
fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de cœlo sancto suo:  
in potentatibus salus dexteræ eius.

Hi in curribus, & hi in equis: nos  
autem

DE PROCESSIONIBVS.

53

autem in nomine Domini Dei nostri  
inuocabimus.

Ipsi obligati sunt, & ceciderunt; nos  
autem surreximus, & eretti sumus.

Domine saluum fac regem: & exau-  
di nos in die, qua inuocauerimus te.

Gloria Patri.

*Vel Psalm.90. Qui habitat in adiuto-  
rio, &c. Quo finito, dicuntur versus.  
vers. Deus refugium nostrum, & vir-  
tus. Resp. Adiutor in tribulationibus.  
vers. Saluos fac seruos tuos Domine.  
Resp. Deus meus sperantes in te.  
vers. Sanctus Deus, Sanctus fortis,  
Sanctus immortalis. Resp. Misericordia no-  
bis. vers. Adiuua nos Deus salutaris  
noster. Resp. Et propter gloriam nomi-  
nis tui Domine, libera nos. vers. Domi-  
ne exaudi orationem meam, Resp. Et  
clamor meus ad te veniat, vers. Domi-  
nuſ vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo,*

Oremus.

ORATIO.

**N**E despicias omnipotens Deus,  
populum tuum in afflictione cla-  
mantem, sed propter gloriam nominis  
tui tribulatis succurre placatus.

D 3

Ora-

DIRECTORIVM  
ORATIO.

**I**Neffabilem misericordiam tuam Domine nobis clementer ostende, ut simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis, quas pro his meremur, eripias.

ORATIO.

**C**oncede nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitatem gaudere, & gloriosam beatam Mariam semper virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & aeterna perfrui lætitia.

ORATIO.

**T**ribulationem nostram, quæsumus Domine propitius respice, & iram tuam indignationis, quam iuste meremur, auerte.

ORATIO.

**D**eus refugium nostrum & virtus, dадесто pijs Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, & præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.

PRE-